

a memoria proximè tibi sanguine accedens, vir omnibus numeris absolutus, & solo nominis splendore omnibus notus Columbinus Abbas, qui virtutibus his etiam, non solum ad omnes dignitates iter munijt; sed etiam via sibi ad beatorum domicilium patefacta; apud posteros vitam propagauit; tibi in hac eadem religione, & vitæ genere præluxit. Talis, tantiq; viri mores, & sanctissima instituta tanquam præclarissimum omnium actionum, cogitationumq; tuarum exemplar, in tota vita tibi ante oculos imitanda, obseruandaq; proposuisse, quis dubitet? Non enim is es, qui fumosis tantum maiorum imaginibus; sed in eorum lucidissimis vestigijs insitens, & proprijs rebus honestè, præclarèq; gestis munitus ad honores, ad gloriam, ad immortalitatem tibi comparandam curriculo felicissimo, euectus, celeriter contendis. Ex istis vitæ principijs, in quibus, vt merito, ita etiam prospere, ac cumulatisimè tibi omnia, quasi virgula diuina suppeditantur, & votis respondent, auguror breui te ad honorum, & dignitatum gradus summos cum omnium lætitiâ faustè, auspicatoq; ascensurum. Ecce uerò (ne quid publicæ lætitiæ deesset; & hoc nostrum de te nuper factum iudicium diuino consilio confirmaretur) mihi hæc de te meditantè, prædicentè, & litterarum monumentis consignanti; te Patrum omnium suffragijs, totius Religionis tuæ Visitatorem; munus inter vos sanè amplissimum, fuisse declaratum, certissimis nuncijs est expositum. Ad hæc, quæ per se maxima sunt, illa etiam; quæ, & à fortuna, & à natura tributa, (vt aiunt) hominibus, qui ad summa dignitatum fastigia extolli solent, in te posita maximè fulgent, appositè adiunguntur. Habes eos, & inter Senatores Romanos necessitudine, & inter purpuratos patres amicitia tibi coniunctos, principes, qui morum tuorum suauitate, & vitæ probitate allecti, tua causa omnia cupiunt, te vehementer amant, diliguntq;. Tum ex tua facie, totoq; corpore illa virilis dignitas, liberalisq; species enitescit, ut omnes in sui admirationem conspicientes, conuertat. Postremo, quid de grauisima illa oratione tua, sermonis comitate, affabilitateq; refertissima dicam? Huius profecto vim eam esse ego ipse sum expertus, vt grauitate plena, & suauissimis salibus condita, omnes ad beneuolentiam alliciat, & arctissimis amoris vinculis tibi in perpetuum obstringat. Hæc, & cæmplura alia; Abbas Amplissimè, in te collocata ornamenta efficiunt, vt, & ego in numerum tuorum clientum aggregari cupiam, & hoc meum consilium, dum tibi in primis, quos dixi, libros nuncupandos, & sub tuo patrocinio, cum tui nominis inscriptione publicandos duxi, ab omnibus iurè optimo probandum esse videatur. Itaq; si hoc meæ in te obseruantia leue testimonium tibi non ingratum fuisse, & mihi ad inuendam humanitatis tuæ gratiam quasi fores patrociniij, & amicitia patefecisse appe-